

William Dugdale
Monasticon Anglicanum, vol. 3, part 2
London
1673

Monastici Anglicani,
VOLUMEN TERTIUM
ET
ULTIMUM:
ADDITAMENTA
QUÆDAM
In Volumen Primum, ac Volumen Secundum,
Jampridem Edita:

NECNON
FUNDATIONES, sive DOTATIONES
DIVERSARUM
Ecclesiarum Cathedralium
AC
Collegiatarum
CONTINENS;
Ex ARCHIVIS REGIIS, ipsis AUTOGRAPHIS,
Ac diversis CODICIBUS MANUSCRIPTIS
DECERPTA,

Et hic congesta
Per WILL. DUGDALE WARWICENSEM
NORROY Regem Armorum.

SAVOY:
Excudebat Tho. Newcomb, & Prostant Venales Ab. Roper, Joh. Martin, & Hen. Herring= man ad Signa Solis in Fleetstreet, Campanæ Cœmeterio Paulino, & Anchoræ Bursa Nova. MDCLXXIII.

.....
1
ECCLESIAE
COLLEGIATÆ
Canonicorum
SECULARIUM.

.....
52a
ECCLESIA
Collegiata de Wengham
in Com. Cantii.
Ordinationes & Statuta pro gubernatione ejusdem.

In Dei nomine Amen.
Unversis S. Ma= tris Ecclesiæ filiis
ad quorum notitiam
præsens scriptura
pervenerit, frater
Johannes permissi= one divina Cantua= riensis Episcopus to= tius Angliæ primas,
ad perpetuam rei memoriam, quæ sequuntur;
Agente dudum & procurante bonæ memoriæ do= mino Roberto prædecessore nostro, fœlicis recor=

dationis dominus Gregorius Papa decimus, ad ordinandum in Ecclesia de Wengeham nostrae diocesis, ad collationem nostram spectante præpositoram, & decem secularium Canoniconrum Collegium auctoritatem apostolicam concessisse dinoscitur sub hac forma:

Ex Registro primo principali D. Archiepiscopatuar. scil. Peckham f. 32. a.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri J. Archiepiscopo Cantuar. salutem & apostolicam benedictionem. Ex parte tua fuit præpositum coram nobis, quod in parochiali Ecclesia de Wengham tuæ diocesis, ad tuam collationem spectante, cultum divini nominis ampliari desideras, & ordinare secularium Canonicorum Collegium in eadem, cujus facultates ad hoc sufficere asseris competenter. Quare super hiis potestatem tibi concedi per Sedem Apostolicam supliciter postulasti: Nos itaque votis tuis in hac parte favorabiliter annuere attendentes, fraternitati tuæ de qua gerimus in domino fiduciam plenioram, præsentium auctoritate duximus concedendum, ut possis absque alicujus præjudicio, in dicta Ecclesia cedente vel decedente dilecto filio Tedisso de Camilla ipsius Rectore, Præpositum & decem secularium Canonicorum Collegium, Præpositoram, ac certas & distinctas Præbendas de dictis facultatibus ordinare; ac illi quem in dicta Ecclesia Præpositum sic institues de præfata præpositoria. Reliquis vero Canonicis de Præbendis hujusmodi providere; ita tamen quod idem præpositorus, tam Canonicorum ipsorum quam totius parochiæ ipsius Ecclesiæ curam gerat: Et Præpositorus ipse ac aliqui ex iisdem Canonicis sacerdotes: Cæteri autem Canonici Diaconi & Subdiaconi existere. Ac tam idem Præpositus quam cæteri Canonici supradicti in Ecclesia prædicta deseruire perpetuo teneantur: Nec fructus Præpositoriae, seu Præbendarum prædictarum, neque aliquid de proventibus

52b

dictæ Ecclesiæ percipere valeant, nisi cum in eadem Ecclesia personaliter fuerint residentes: necnon & contradictores, siqui fuerint per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita cohercere. Dat. Lugduni x. Kal. Januarii Pontificatus nostri anno tertio.

Demum exorta in Romana Curia materia quævis inter prænominatum dominum Tedisum ex parte una & nos; ac etiam Magistros Rogerum de Rowelle, Anselmum de Estra, Petrum de & Johannem de S. Martino Lewen. Clericos ex ultra super Ecclesia prædicta de Wongeham, cum Capellis suis, & aliis ad ipsas spectantibus quibus eundem Tedisum ex certis causis & legitimis privaveramus, juris ordine observato; eademque causa ibidem aliquamdiu agitata; tandem interveniente auctoritate & assensu sanctissimi patris domini Honorii Papæ quarti, per quandam ordinacionem inter partes editam a reverendo patre do-

mino Bernardo Portuensi Episcopo S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali, cuius arbitratui, dispositioni, dicto, laudo, definitioni & decreto alte & basse, tam dictus Tedisius pro se, quam dilectus filius Magister Gulielmus de Sardinia Juris Civilis Professor noster & praedictorum Clericorum in hac parte procurator; habens a nobis & iisdem Clericis ad id mandata sufficientia se submittere curaverunt, eadem questio finem cepit, & sub certis formis & conditionibus conquievit: In qua quidem ordinazione idem dominus Cardinalis, concessa sibi arbitrandi, ordinandi, disponendi, laudandi, definiendi & decernendi auctoritate apostolica, prout secundum Deum videret prefectui animarum, prospero ejusdem Ecclesiæ statui, & quieti partium expedire plena & libera potestate, factis prius per dictum Tedisium cessione, renunciatione & resignatione in manus praedicti domini Cardinalis recipientis auctoritate apostolica de praefata Ecclesiæ de Wengham, & pertinentiis suis; ac etiam omni jure & actione sibi competentibus & competituris quomodolibet in eadem, prout ejusdem Ordinationis tenor liquido manifestat, inter alia dispositus, statuit & decrevit Ecclesiam de Wengham de Præposito & decenti Canonicorum secularium Collegio, juxta præscriptam concessionem domini Gregorii, per Cantuariensem Archiepiscopum ordinandam, & ipsius proventus in Præposituram & certas ac distinctas Præbendas, ut præmittatur dividendos, non obstante aliqua concessione, collatione, institutione, seu commenda facta per nos de ipsa Ecclesia & Capellis suis prænominatis, Magistro Rogero, Anselmo, Petro & Johanni ante cessionem, renunciationem & resignationem Tedistii memorati.

Advertentes itaque Ordinationi hujusmodi cedere in divini cultus augmentum, & prosperiore dictæ Ecclesiæ statum: cupientesque eam, prout decet, effectui debito mancipari, juxta bene-placitum & mandatum sancti patris domini Honorii praedicti ratificandis & confirmantib; ex certa scientia tam concessiōnem & ordinationem dicti domini Gregorii, quam etiam decretum præfati domini Portu-

53a

ensis, ad Dei gloriam & honorem. Præpositum & decem secularium Canonicorum Collegium in ipsa Ecclesia de Wengham, ac de ipsius & Capellarum ad eadem spectantium fructibus & proventibus Præposituram, & Præbendas certas & distinctas juxta formam & auctoritatem praedictam taliter ordinamus.

Imprimis itaque statuimus, ordinamus, instituimus & perpetuo stabilimus in Ecclesia de Wengham unam Præposituram & Canonicos sex, cum suis Præbendis, quas nostræ collationi & successorum nostrorum specialiter reservamus. Et nullus unquam Præpositus sive Canonicus in ipsa Ecclesia admittatur, nisi

primo juret personaliter se serviturum fideliter ordinationem nostram factam juxta concessionem dicti domini Gregorii circa eandem Ecclesiam auctoritate præfatæ ordinationis domini Portuensis, & Decreti domini Honori approbantis & confirmantis utrumque; & etiam jura & consuetudines ejusdem Ecclesiæ. Juramento vero Præpositi, cui cura & jurisdictio tam Canonicorum, quam totius Parochiæ de Wengham & omnium Capellarum ex apostolici commissione incumbit specialiter addi volumus; quod in eadem Ecclesia personaliter residebit, alioquin ipsius institutionem vel quamcunque occupationem irritam esse decernimus & inanem.

Sane præpositoram sive portionem Præpositi consistere volumus in fructibus & proventibus ipsius Ecclesiæ de Wengham, tam majoribus quam minoribus, cum omnibus hameletis suis seu villulis suis, & cum decima nostra Archiepiscopali de la Berton; & cum Cappella ac decimis domini de Overlonde, & tenantium suorum omnium in Overlonde; & cum tota decima de Coclange & de Hodone; & cum tota decima Campi Crull, qui in eisdem finibus de nostro dinoscitur esse tenementum, sicut nuper per prædictas particulias eandem Ecclesiam a suis Capellis de sensu Capituli nostri duximus distinguendum. Domos etiam Rectoriæ vicinos Ecclesiæ ad inhabitandum Præposito concedimus & perpetuo assignamus, unacum prato sub villa de Wengham, ab antiquo ad eandem Ecclesiam pertinente.

In fructibus autem aliarum Capellarum ejusdem Ecclesiæ, oblationibus, obventionibus majoribus vel minoribus nihil valeat vendicare. Et cedente vel decadente vicario de Wengham, proventus ipsius vicariæ de Wengham cedant in augmentum portionis præpositi qui pro tempore fuerit ab ipso perpetuo possidendi.

Sex autem Canonicatum prædictorum, juxta ordinationem domini Gregorii prædicti duo sint presbyterales, duo diaconales, & duo subdiaconales; quorum præbendas de bonis & fructibus residuis Capellarum Ecclesiæ de Wengham in certis portionibus distinguimus in hunc modum. Primam siquidem Præbendam Presbyteralem in eadem Ecclesia ordinamus & distinguimus in parochia de Essche apud Chilton, quam consistere volumus in decimis terrarum quas Willielmus de Chilton

53b

tenet de nobis in Chilton & defendit; exceptis tribus Campis videlicet Bradefelde Bremthe & Visekere, quas remanere voluntus communitati Canonicorum.

Secundam vero Præsbyteralem Præbendam in eadem Parochia distinguimus apud Peddynge quam consistere volumus in duabus Campis, viz. in Campo versus occidentem

de Peddynge; & in Campo versus orientem de Peddynge, sicut includatur per stratam versus Ettoreshulle & Helebugge; & de Helebugge usque la Forde.

Primam autem Præbendam diaconalem ordinamus & distinguimus in Parochia de Bedwynestone apud Twytham, quam consistere volumus in decimis terrarum domini Alani de Thwytham, quas de nobis libere tenet ibidem; exceptis duobus campis, viz. Holdane & Brocfelde, qui communitati prædictæ remaneant.

Secundam vero in eadem Parochia apud Bonynton, quæ consistat in decimis terrarum quæ Thomas de Bonynton, Henricus de Dovor hæredes Johannis de Bonynton, Alexander de Coleshulle, & Willielmus Edgar defendant versus nos in villata de Bonynton.

Primam insuper Præbendam subdiaconalem ordinamus & distinguimus in Parochia de Nonynton apud Retlynge; & eam consistere volumus in decima de terris dominicis quas Ricardus de Retlinge & Radulphus Perot libere tenent de nobis ibidem inter stratum quæ dicit de Cruddeswode ad Crucem de Bonyngton; & de Cruce ad tenementum Prioris de Adesham.

Secundam vero subdiaconalem Præbendam esse volumus apud Wymelyngewelde, & consistere in campo qui jacet inter stratam quæ dicit de bosco de la Dane usque ad stratam quæ dicit de Nethersole ad Berhamdone & tenementum de Acolte, ac tenementum Prioris Cantuar.

Singulæ autem prætaxatae Præbendæ, sicut eas superius distinximus locorum in quibus consistunt vocabulis nominentur. Et in singulis stallis Canonicorum, secundum gradus suos scribi præcipimus titulos & nomina eorundem. Residuum autem omnium bonorum, decimum, reddituum, terrarum, & obventionum omnium, ad dictam Ecclesiam de Wengham & suos Capellanos, viz. Essche, O-verlonde, Flete, Godwynestone, Nonynton & Wymelyngewelde spectantium, in quibuscunque consistunt, præter portiones Præpositi & Præbendarum superius distinctas & taxatas communitate & commune dictorum sex Canonicorum, ab ipsis duntaxat, prout ordinatur inferius percipendæ appropriamus, deputamus & integraliter assignamus.

Cæterum tam Præpositus ipse quam Canonici singuli in ipsa Præbendali Ecclesia de Wengham sub se singulos habeant Vicarios sacerdotes, vel saltem diaconos proximis quatuor temporibus ordinandos perpetuo de-

tur, & Ecclesiasticæ convenit honestati.

Et ut ipsi Canonici onus Vicariorum suorum facilius supportare valeant, & eos commodius exhibere, Alterarium de Esshe, cedente vel decedente Vicario loci ejusdem vel aliter per viam canonicam amoto, unacum Altaragiis de Nonington & Godwynestone eorum communitati integre assignamus: proviso tamen quod Capellæ ipsæ debitibus obsequiis non fraudentur & specialiter Capellanus Parochialis de Esshe, qui semper secum habeat Capellatum & ministros competentes Ecclesiæ honestati, pro incumbente sibi onere de preventibus ejusdem Altaragii, usque ad valorem decem librarum Sterlingorum percipiat omni anno. Quilibet autem Vicarius, pro necessitatibus suis annuatim de bursa communis sex marcas recipiat, de quibus pro equalibus portionibus per singulas quartas anni cuilibet satisfiat.

Et ut iidem Canonici de domibus & beneficiis necessariis secundum industriam suam commodius & facilius sibi valeant in solo Ecclesiæ processu temporis providere, tenentes & tenementa ejusdem Ecclesiæ, ex opposito dormorum Præpositi, juxta grangias nostras, si ve bertonam nostram existentia, necnon redditus exinde provenientes, cum escaetis & aliis quibuscumque suis juribus & pertinentiis damus, concedimus & assignamus easdem; ut in ipsis tenentibus & tenementis Ecclesiæ Canonici qui pro tempore fuerint idem jus habebant, & libere percipient, quod Rector ejusdem loci solebat habere.

Porro ne bona communia defraudentur, vel ad manus suspectas improvide transferantur statuimus & irrefragabiliter ordinamus, ut aliquis Canonicorum, de assensu omnium residentium, vel majoris & sanioris partis eorum ad hoc specialiter assignatus, qui vices debeat gerere Seneschalli, plenam & liberam administrationem habeat omnium bonorum communium prædictorum, quæ ad ipsius manum integre volumus pervenire, qui cuilibet Vicario de portione sua prædicta certis terminis respondeat & dispensem Canonicis residentibus cotidianam portionem suam; videlicet cuilibet pro communa sua duodecim denarios omni die: residuum vero proventuum communium in custodia ejusdem Seneschalli in ærario communi remanear, si nullus sit Canonicus totaliter residens pro necessitatibus communibus reservandum. Si vero tantum unus Canonicus resideat medietas illi conferatur, & alia medietas pro communibus necessitatibus reservetur. Quod si plures sint residentes, inter ipsos in fine cuilibet termini totum residuum proportionaliter dividatur.

Idem quoque Senescallus, de hujusmodi sua administratione & distributione, saltem semel in anno in communi Scaccario coram residentibus Canonicis fidele ratiocinium & compotum reddere teneatur: Et cum ipsum ex causa

ab hujusmodi officio contigerit amoveri, ali= us simile modo subrogetur eidem.

54b

Circa residentiam autem in dicta Ecclesia faciendam & perceptionem cotidianæ distributionis prædictæ; ac etiam in fine cujuslibet termini dividendo inviolabiliter servari ac teneri volumus quæ sequuntur: statuimus ita= que & perpetuis temporibus ordinamus, ut quicunque Canonicus particeps esse voluerit dividendæ portionis in fine cujuslibet quartæ anni, ad minus quatuor mensibus per annum resideat; viz. uno mense, vel continue vel in= terpolatim in qualibet quarta anni. Et nisi Canonicus residens legitima causa cessante in= fra quartam anni, qua ipsum residere contige= rit, compleverit, unum mensem a perceptio= ne dividendæ in fine termini sit penitus alie= nus.

Quatuor autem anni terminos, sive quar= tas sic distinguimus; Primam quartam anni di= ci volumus a die S. Michaelis usque ad festum Natalis domini: Secundam a die Natalis do= mini usque ad festum Annunciationis domini= cæ: Tertiam a die Annunciationis usque ad festum Nativitatis S. Johannis Baptistæ: Quartum vero terminum, sive quarterium an= ni dici volumus a die S. Johannis prædicta us= que ad festum S. Michaelis.

Illos autem Canonicos pro perceptione co= tidianæ distributionis prædictæ dicimus Resi= dentes qui corporis inequalitate cessante, in matutinis hora prima magna Missa; & in ve= speris vel saltem unam istarum hororum, aut in Missa majori in Ecclesia sint præsentes. Il= los etiam qui pro negotiis & necessariis util= itatibus ipsius Ecclesiæ procurandis de Præpositi & residentium conscientia sunt absentes. Si quando vero Canonicus aliquis minutiōne in= digeat, quam cessante necessitate quater in anno concedi volumus residentibus, liceat ei propter hoc ab Ecclesia se per triduum absentia= re, & eisdem diebus tanquam residens com= putetur.

Præpositus autem qui pro tempore fuerit, sive resideant omnes Canonici, vel eorum aliqui, sive non, in distributionibus faciendis, ut præmittitur non concurrat; sed portionibus sibi superius assignatis, pro incumbentibus si= bi oneribus sit contentus. Verumtamen in legatis fidei commissis & aliis bonis quocunque titulo legitimo pro Anniversariis, seu quocun= que divino obsequio in dicta Ecclesia de Wengham celebrandis, ex devotione fi= delium ipsi Ecclesiæ imposterum relinquendis vel etiam conferendis, Præpositus qui pro tem= pore fuerit, dum residens fuerit, cum Cano= nicis residentibus pro virili portione concur= rat.

Porro circa cultum divinum, & regulares observantias, ea in prædicta Ecclesia secun= dum dispositionem Præpositi & Canonicorum

residentium servari volumus & teneri, quæ in aliis vicinis hujusmodi Collegiatis Ecclesiis laudabiliter observantur.

Vicarios autem suos, cum necesse fuerit singuli Canonici Præposito pro sua voluntate præsentent, ab ipso, si idonei fuerint admittendos; de quibus nullus ibi recipiatur nisi bene cantans honestus moribus & ydonee literatus:

55a

Et si quis eorum luxuriosus inventus fuerit, omni cessante excusatione illico expellatur. Si quis insuper ebriosus fuerit, rixosus, vel alias insolens, nisi monitus se corrigat de residentium consilio per Præpositum expellatur.

Circa correctionem vero delinquentium Præpositus diligenter exerceat Officum suum secundum Canonicas sanctiones.

Visitationem autem ipsius Præpositi & Collegii nobis duntaxat & successoribus nostris Archiepiscopis reservamus; ita quod, nec Officialis Cantuar. nec quivis alius ibi sine mandato speciali Archiepiscopi, qui pro tempore fuerit visitare, vel jurisdictionem aliquam audeat exercere, salva jurisdictione Præpositi, quam illibatam in omnibus volumus observari.

Si quis autem contra hanc nostra institutionis & ordinationis paginam scienter & maliciose venire, vel ipsam immutare præsumpserit, præcipue distinctionem factam per Præposituram & Præbendas, vel jura Ecclesiæ malitiose quomodolibet impugnare; vel Præpositum & Canonicos, seu ministros Ecclesiæ, vel eorum aliquem contra præsentis ordinationis seriem molestare; vel Præposituram, seu Præbendam aliquam quacunque via alia occupare Excommunicationis sententiæ & anathematis, quam contra præsumptorem seu præsumptores hujusmodi auctoritate Apostolica fecimus, in hiis scriptis subjaceat ipso facto. Turbatorem vel turbatores nichilominus quoscunque hujusmodi divinæ & nostræ maledictionis perstringimus laqueo; & omnium Sanctorum Cantuariensis Ecclesiæ patronorum, ipsum vel ipsos diabolicæ tyrannidi flagellandum vel flagellados donec condigne penituerit vel penituerint, auctoritate qua fungimur substernentes; Indignationem omnipotentis Dei, & omnium Sanctorum Cantuariensis Ecclesiæ patronorum poterit non immerito formidare.

In quorum omnium testimonium, & ad perpetuam rei memoriam præsentem scripturam Sigilli nostri munimine fecimus communiri. Actum & datum apud Suth-Mallynge xii. Kal. Martii A/o Domini MCCLxxxvi/o. Ordinationis nostræ nono.

Ibid. f.
221. a.
Confirmatio Regis Edwardi primi, super
Ordinatione præfatæ Ecclesiæ Collegiatæ de
Wenegham. Data apud Westmonasteriū
vii/o. Junii, A/o regni sui xviii/o.

.....

ECCLESIA

Collegiata de Bradgare
in Diocesi Cantuar.

Licentia regia super fundatione & dotatione e=
jusdem.

Pat. 16 R.
2. p. 1.
m. 24.

Rex omnibus ad quos,
&c. salutem. Li=
cet, &c. de gratia
tamen nostra spe=
ciali, & pro qua=
draginta libris no=
bis salutis in hana=
perio nostro, con=
cessimus & licenti=
am dedimus, pro
nobis & hæredibus nostris, quantum in nobis
est Magistro Roberto de Bradgare Clerico, Ma=
gistro Johanni Burbache Clerico, Thomæ Jakyn
Clerico, Johanni West, Johanni Trowebregge Cle=
rico, Johanni atte Vyse, Johanni Lambe, & Rogero
Webbe, quod ipsi, & qui eorum diutius vixerint

fundare possint apud Bradegare quoddam Colle=
gium unius Capellani & duorum Clericorum
Scolarium, qui divina celebantur, & deo famu=
labuntur in Ecclesia Parochiali de Bradgare
Cantuariensis diocesis, perpetuis futuris tempo=
ribus hiis quibus dicti scolares literarum studio
vacaverint duntaxat exceptis, pro salubri statu ip=
sorum Roberti, Johannis, Thomæ, Johannis, Johan=
nis, Johannis, Johannis & Rogeri dum vixerint, &
pro animabus suis cum ab hac luce migraverint;
& pro animabus patrum, matrum, antecessorum,
amicorum, & benefactorum suorum, & om=
nium fidelium defunctorum: Ac etiam, quod
prædicti Robertus, Johannes, Thomas, Johan=
nes, Johannes, Johannes, Johannes, & Rogerus,
& qui eorum diutius vixerint, dare possint &
assignare præfatis Capellano & scolaribus tria
messuagia, ducentas & quinquaginta acras
terræ, centum acras pasturæ, sexaginta acras
bosci, tresdecem solidatas, & quatuor denara=
tas redditus & reddituum octo gallinarum, &
medietatis unius libræ piperis cum pertinentiis
in Holyngburne, Houkyngge, Brade=
gare, Werneselle, Bordenne, Tun=
stalle, & Bikenore: de quibus quidem
terræ & tenementis duo messuagia, sexaginta
& quatuordecim acras terræ & dimidium, du=
odecim acras pasturæ, & decem acras bosci de
Anna Regina Angliæ; & residua terræ & te=
nementi de aliis quam de nobis tenentur: Ha=
benda & tenenda eisdem Capellano & scolari=
bus & successoribus suis Capellanis & scolari=
bus divina in Ecclesia prædicta pro statu & ani=
mabus prædictis celebraturis, & deo servitu=
ris, juxta ordinationem prædicti Roberti in
hac parte faciendam imperpetuum. Et eisdem
Capello & successoribus, quod ipsi prædicta

messuagia, terram, pasturam, boscum & redditum cum pertinentiis, a præfatis Roberto Johanne, Thoma, Johanne, Johanne, Johanne, Johanne, & Rogero recipere possint & tenere sibi & successoribus suis Capellani & scolaribus divina in Ecclesia prædicta, pro statu & animabus prædictis celebraturis & deo servitius juxta ordinationem prædictam, in forma prædicta imperpetuum, sicut prædictum est, tenore præsentium similiter licentiam dedimus specialem, statuto prædicto, seu eo quod dicta duo messuagia sexaginta & quatuordecim acræ terræ & dimidium, duodecim acræ pasturæ, & decem acræ bosci de præfata Regina tenentur, ut prædictum est, non obstante. Nolentes, quod prædicti Robertus, Johannes, Thomas, Johannes, Johannes, Johannes, Johannes & Rogerus, vel hæredes sui, aut præfati Capellanus & scolares seu successores sui prædicti ratione præmissorum per nos vel hæredes nostros, Justiciarios, Escaetores, Vicecomites, aut alios Ballivos seu Ministros nostros vel hæredum nostrorum quoscumque inde occasionentur, molestentur in aliquo seu graventur: salvis tamen nobis & hæredibus nostris, ac aliis Capitalibus dominis feodi illius serviciis inde debitis & consuetis. In cuius, &c. T. Rege apud castrum Wyndesore xix/o. Julii.

118a

Statuta & Ordinationes pro meliori gubernatione ejusdem.

Ex Regist.
principali
D. Archi=
ep. Can=
tuar.
Bourchier
& Court=
ney fol.
124. a.

In nomine Patris & Filii & Spiritus altissimi, Amen, Ego Robertus de Bradegare Clericus Cantuariensis diocesis virtute & auctoritate licentiae illustrissimi principis & domini nostri domini Ricardi dei gratia Regis Regnum Angliae & Franciae a Conquestu Angliae secundi, decimo nono die mensis Julii anno regni sui sextodecimo; necnon reverendissimi a Christo patris & domini domini Archiepiscopi Cantuariensis, cæterorumque omnium & singulorum quorum interest, seu interesse poterit in hac parte mihi Roberto prædicto concesso, declarando quædam scripta & ordinata Collegium S. Trinitatis de Bradgare dictæ diocesis concernentia, & addendo ad eadem, ordino, quod idem Collegium perpetuis futuris temporibus per unum secularem Presbyterum, in ordine sacerdotali constitutum, & duos Clericos scolares consorcios suos regatur & gubernetur. Quodque idem Capellanus, & successores sui quicunque in dicto Collegio residentiam faciant personalem; & cessante causa legitima comedat & larem foveat cum servienti suo in hoc Collegio: nec suam mensam emat in domo alieni, salvo quod unum mensem continentem triginta duos dies a dicto Collegio & Ecclesia de Bradgare continue vel interpolatim poterit quando & ubi voluerit absque omni causa commedere & se absen-

tare.

Item ordino quod idem Capellanus & successores sui habeant secum unum servientem qui singulis diebus Missas suas ipsum coadjuvet celebrare, & in aliis serviat eidem ipsius Capellani sumptibus & expensis.

Item ordino, quod idem Capellanus, & successores sui singulis diebus imperpetuum Matutinas & Missam in Ecclesia Parochiali de Bradgare dicant.

Item ubicunque voluerit in dicta Ecclesia, siue extra eam singulis diebus Vesperas, Placebo, & Dirige; singulisque quartis & sextis feriis septem Psalmos Penitentiales, & quindecim Psalmos Graduales perdicant imperpetuum.

Si tamen reparatio domorum ad ipsum Collegium pertinentium immineat, & huic necessitatibus cum bonis dicti Collegii providere non poterit; tunc volo & ordino, quod idem Capellanus unum annuale in Ecclesia Parochiali de Bradgare praedicta vel alibi, si Clerici praedicti scolares noluerint, ad tempus celebrare volebit; & pro labore suo salarium recipere quo usque huic necessitati aliunde succurratur; sic tamen quod salarium hujusmodi circa reparationem domorum praedictarum fideliter convertatur.

Et insuper dicti Clerici scolares, ac etiam duo pauperes scolares ad alimenta & elemosanaria Ecclesiæ Cantuariensis scolaribus ibidem ministrare consueta, per ipsos Capellanum & Clericos scolares presentati & admissi, eorumque successores singulis diebus imperpetu-

118b

um; viz. quilibet eorum Psalmum de Profundis, cum versiculis consuetis Deus in cuius manu corda sunt regum, &c. Deus qui inter Apostolicos. Miserere quesumus domine. omnipotens sempiterne Deus qui vivorum dominaris, &c. singulis ebdomodis Placebo & Dirige; singulisque sextis feriis septem Psalmos Penitentiales cum Letania secundum usum Sarum perdicant pro salubri statu domini nostri Regis praedicti & Isabellæ consortis suæ Reginæ Angliæ, reverendissimi in Christo patris & domini domini Thomæ dei gratia Cantuariensis Archiepiscopi, Thomæ Chalynden Prioris Ecclesiæ Cantuariensis, ac ejusdem loci Capituli, Archidiaconi Cantuar. nobilis viri Hugonis Lutterell militis, Willielmi Makenade, Roberti de Bradgare & aliorum fundatorum Collegii memorati.

Et cum ab hac luce migraverint pro animabus praedictorum, ac claræ memoriae Edwardi Principis Walliæ, Johannæ consortis suæ, ac progenitorum suorum; necnon quondam Annæ ipsius domini Regis consortis & Reginæ Angliæ, domini Willielmi Courtney Archiepiscopi defuncti, dominique Roberti Stratton, Henrici Wylly, Rogeri Bygoode Capellanorum & Roberti Barkeface parentum, benefactorum

suorum & Collegii memorati; & specialiter eorum de quorum bonis debite vel aliter recipiunt, omniumque fidelium defunctorum.

Item volo & ordino, quod praedicti Capellanus & duo Clerici scolares Collegii praedicti, siue successores imperpetuum singulis principibus & duplicibus festis, singulis quoque diebus dominicis in dicta Ecclesia de Bradgare, ex parte sinistra Chori ibidem suis superpelliciis induiti primas, secundas, Vespertas, Completoria, & magnam Missam, etiamsi idem Capellanus annuale propter causas superius scriptas alibi celebraverit coadunabunt cantare & cantabunt. Nullus tamen eorum curatus aquae bajulus, aut sacrista dictae Ecclesiae de Bradgare erit dum fuerit socius Collegii praedicti; excepto eo quod quamdiu ego Robertus praedictus rebus fuero in humanis, idem Capellanus & successores sui michi Roberto praedicto, ubicunque voluero in divinis deservient.

Item volo & ordino, quod Capellanus dicti Collegii qui pro tempore fuerit nullum beneficium seu officium assequatur, per quod a residencia personali & celebratione divinarum praedictis impediatur: Et si contrarium fecerit privatus sit Capellania praedicta ipso facto.

Item volo & ordino quod Capellanus & Clerici scolares praedicti, de cætero de natis & mascoturis in diocesi Cantuariensi; & unus semper de consanguinitate vel affinitate mea perpetuo assumentur.

Item volo & ordino, quod nullus Capellanus ad Capellaniam dicti Collegii admittatur nisi tunc sciat bene legere, bene construere, & bene cantare: nullusque præficiatur Clericus scolaris dicti Collegii, nisi tempore præsentationis hujusmodi bene legere & compotenter cantare sciat.

119a

Item ordino quod nullus in Capellatum dicti Collegii instituatur; nec aliquis in scolarem dicti Collegii præficiatur, nisi fuerit bonaë vitæ, conversationis honestæ, castus, quietus, sobrius, ac dei amicus, nulloque crimine notabili irreitus, sic quoque vivat quamdiu fuerit Capellanus, seu scolaris Collegii praedicti; alioquin institutionem Capellani & præfectionem scolaris hujusmodi nullas esse ordino ipso facto.

Item volo & ordino, quod præsentatio hujusmodi Capellani, & præfectio duorum Clericorum scolarium Collegii praedicti ad ipsum Collegium perpetuo pertineant, viz. quociens Capellaniam dicti Collegii vacare contigerit, tunc præsentatio Capellani ad ipsam Capellaniam ad scolares dicti Collegii ac institutio ad loci ordinarium, & inductio corporalis ejusdem Capellani ad Clericos scolares praedictos perpetuo pertinebit.

Si vero contigerit unicum scolarem dicti

Collegii tempore Vacationis Capellaniæ prædictæ existere; tunc ordino quod iste unicus scolaris præficiat alium scolarem in Collegio prædicto; & hii duo præsentabunt personam ydoneam ut præmittitur ad Capellaniam prædictam: Si vero nullum scolarem Collegii prædicti existere contingat, tunc Capellanus ejusdem Collegii unum scolarem ejusdem Collegii præficiat; & hii duo secundum scolarem præficiant in Collegio prænominato.

Item volo & ordino quod præsentatio ad Capellaniam prædictam, & præfectio utriusque scolaris prædicti, infra quindecim dies a tempore quo vacatio Capellaniæ & Præbendarum scolarum prædictorum in Ecclesia de Bradegare nota fuerit continue numerandas juxta formam prænotatam fiant; alioquin lapsis quindecem diebus prædicta præsentatio dicti Capellani, & præfectio scolaris deficiens ad loci Ordinarium: viz. dominum Archiepiscopum Cantuariensem; & sede Ecclesiæ Cantuar. vacante ad Priorem & Capitulum Ecclesiæ Cantuariensis duntaxat eo casu & non aliter, nec alio modo pertinebunt.

Item volo & ordino, quod Clerici scolares dicti Collegii eorumque successores a tempore præfectionis eorum sint scolares & consocii dicti Collegii, quounque compleverint vicesimum quintum ætatis suæ annum, & non ultra: habebitque uterque eorum singulis ebdomadis decem denarios Sterlingorum de bonis Collegii memorati, & Cameram australem superiorem Collegii memorati; ita tamen quod sint prompti ad ordinem subdiaconatus in vicimo ætatis suæ anno, fueruntque bone vietæ, & conversationis honestæ dictoque Capelano & successoribus suis obedient in licitis & canonicis mandatis.

Item ordino quod dictus Capellanus & successores sui habeant Cameras boreales dicti Collegii, & dum fundatores dicti Collegii vixerint singulis quarteriis anni in fine ejusdem quarterii quadraginta solidos Sterlingorum: Et cum dicti fundatores ab hac luce subtracti fuerint decem libras Sterlingorum; ac provenitus columbaris dicti Collegii apud Bradgare

119b

existentis pro sustentatione sua & servientis sui prædicti. Ac pro inventione & reparatione Calicis Missalis, tuallorum, vestimento rum, panis, vini & quinquaginta alicetum quoque omnium ad Missas, Matutinas; & pro laboribus suis circa conservationem bonorum dicti Collegii impendendis per eundem.

Item volo & ordino; quod totus boscus & suboscus ad ipsam Capellanam & scolares datus temporibus debitiss, per Capellanum & duos scolares dicti Collegii cum consensu duorum scolarium per eos in Elemosinarium Ecclesiæ Christi Cantuar. præsentatorum prius offerenti vendatur, & omni pecunia exinde percipi-

enda reparentur Collegium & omnes domus,
gardini & clausuræ ad ipsum Collegium, &
manerium de Throustede pertinen. cum
consilio & consensu quatuor scolarium præ=
dictorum.

Item volo & ordino, quod Relevium & He=
rietum quo debeantur præfatus Capellanus de
bonis suis, & non de bonis dicti Collegii per=
solvat; ac curiarum sectas quascunque pro bo=
nis Collegii prædicti suis sumptibus & expensis
faciat metrinum.

Item volo & ordino quod Capellanus & sco=
lares dicti Collegii, eorumque successores, &
eorum quilibet erit fidelis dicto Collegio, bo=
na, jura, libertates ejusdem communiter &
divisim conservabunt, sustentabunt, & ma=
nutenebunt, ac quilibet eorum in quantum po=
terit, & præcipue in absentia dictorum Cle=
ricorum scolarum, idem Capellanus conser=
vabit, sustentabit, & manutenebit & aug=
mentabit eadem; & inter cætera cum ad
pinguiorem fortunam pervenerint quilibet eo=
rum cum xl sol. Sterlingorum de bonis suis aug=
mentabit bona Collegii prædicti.

Item volo & ordino, quod præfati duos
scolares ad alimenta & elemosinaria Ecclesiæ
Christi Cantuar. per Capellanum & scolares
dicti Collegii præsentati & præsentandi, eo=
rumque successores in sua admissione, se præ=
missa observaturos corporale præstabunt jura=
mentum.

Item volo & ordino, quod singulis annis,
prima ebdomada Octobris Anniversarium præ=
dictorum, meorum & omnium benefactorum
dicti Collegii perpetuo, singulisque diebus ip=
sius ebdomadæ, per Capellanum & quatuor
scolares prædictos Placebo, Dirige, & Mis=
sam cum officio Requiem celebretur, & singu=
lis diebus prædictis. Hiis completis compo=
tus per eos, & coram eis fiat de universis bo=
nis Collegii memorati, necnon pro reparatio=
ne domorum, boscorum & terrarum Collegii
supradicti debite facienda & onerum eidem
Collegio imminentium supportatione fideliter
ordinetur.

Item volo & ordino, quod dicti Capellanus
& scolares, eorumque successores sint subditi
& subjecti solum & insolidum Archiepiscopo
Cantuar. & sede ibidem vacante Priori & Ca=
pitulo Ecclesiæ Cantuar. & non inferiori: &
ad hoc dabunt singulis annis Archidiacono Can=
tar. xii. d. Sterlingorum.

Item volo & ordino, quod Capellanus &
scolares prædicti, eorumque successores ha=
beant unum Jurisperitum Legis Angliæ de con=
silio reverendi patris domini Archiepiscopi
Cantuar. qui pro tempore fuerit, assumen=
dum quoque singulis annis de bonis dicti Col=
legii percipiat sex solidos & octo denarios
Sterlingorum.

Quodque dicti Capellanus & scolares po=

nant in Cista communi subscripta viginti solidos Sterlingorum ante omnia, de bonis dicti Collegii levandos & solvendos: Et si quod residuum fuerit, illud ponetur in Cista tribus clavibus firmata, quarum custodiam habeant Capellanus & duo scolares Collegii prædicti; unoque ipsorum deficiente, ipsius deficientis clavim & custodiam ejus habeant alii duo scolares Elemenariæ prædictæ.

Item volo & ordino, quod cum dicti, viginti solidis & residuo prædicto juxta & libertates dicti Collegii defendantur, & bona ejusdem augmententur,

Item volo, quod dicta ebdomada idem Capellanus alimenta ipsis quatuor scolaribus; ac etiam in ebdomada Natalis Domini, incipiendo ebdomadam ad Vesperas in vigilia ejusdem, & in ebdomada Paschæ incipiendo ebdomadam mane in die parascives; & in ebdomada Pentecostes incipiendo ebdomadam mane in vigilia ejusdem cum bonis Collegii memorati debite minstret.

Item volo & ordino, quod Libros dicti Collegii datos, præfati Capellanus & duo scolares dicti Collegii non accommodant extra Collegium quoquomodo.

Item volo, quod quilibet Capellanus dicti Collegii facturus, in sua institutione; & quilibet Clericus scolaris ibidem in sua præfectione; & pauperes scolares tempore præsentationis eorum, tactis per eos sacrosanctis Dei evangelii, corporale præsentent juramentum, quod præmissam ordinationem fideliter observabunt, & pro vicibus facient observari: aliquoquin Institutionem præfectores & præservationes de eis factam nullas esse ordino ipso facto.

Item reservo mihi Roberto de Bradgare prædicto potestatem declarandi præmissa quamdiu rebus fuero in humanis, ad addendum ad eadem: Et post obitum meum declarationem questionum, si quæ circa præmissa emerserunt per reverendum patrem dominum Archiepiscopum Cantuar. qui pro tempore fuerit ordino factendam, quem ordino Magistrum dicti Collegii, & conservatorem, protectorem & defensorem jurum & libertatum Collegii prædicti, & præcipue librorum, ac implementi ejusdem & ad hoc in fine singulorum quarteriorum cuiuslibet anni imperpetuum percipiet de bonis ipsius Collegii unum quarterium avenarum, sed de Ecclesiæ Cantuariensis plena: Ipsaque sede vacante religiosi viri Prior & Capitulum Ecclesiæ Christi Cantuar. percipient portionem avenarum pro rata temporis Vacationis prædict. Cantuariæ solvendam pro protectione & defensione præmissorum.

Insuper ego Johannes atte Wyse novissimus

130b

fundatorum Collegii prædicti, ordino quod singulis futuris annis imperpetuum, post obitum meum, in Festo Exaltationis sanctæ Crucis

cis eragentur per Capellanum Collegii memo= rati sex solidi octo denarii, prout sequitur:
In primis Vicaria de Bradgare, qui pro tem= pore fuerit, pro oblationibus illius diei sex denarios; Custodi bonorum Ecclesiæ ibidem sex denarios: Clerico Parochiali & Sacristæ ibidem quatuor denarios: Quinque vero so= lidi & quatuor denarii supra manentes indigen= tibus Parochianis de Bradgare prædicta pro animabus defunctorum supradicti Colle= gii, & omnium fidelium defunctorum dispen= sentur.

In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium ego Robertus de Bradgare prædi= ctus Sigillum meum præsentibus apposui. Da= ta & acta sunt hæc in prioratu de Ledes di= ctæ diocesis, die Lune, viz. xii/o. die mensis Augusti An. Dom. MCCCXCviii/o. Hiis testi= bus domino Rogero Horton, & Ramundo Wyn= ter Clericis Cant. dioc. testibus ad præmissa rogatis.

.....

132a

ECCLESIA
Collegiata de Maydenestone
in Com. Cantii.

*Licentia regia Willi/o. de Courtney Cantuar.
#Archicpiscopo pro fundatione ejusdem.*

Pat. 19 R.
2. #part. 1.
m. 11.

Ricardus dei gratia Rex
Angliae & Franciae &
dominus Hiberniae. Om= nibus ad quos præsen= tes literæ pervenerint
salutem. Sciat quod
cum Venerabilis in
Christo Pater Willielm.
de Courtney totius An= gliae Primas, & Apostolicæ Sedis Legatus, con= sanguineus noster charissimus, devotionis fer= vore succensus, cupiens intime & desiderans cultum divinum ampliare pariter & augere,
Ecclesiam Parochialem beatæ Mariæ de Maidnestone, suorum patronatus & dioce= sis in quoddam Collegium, nostra mediante licentia ergere intendat & fundare: Nos at= tendentes propositum ipsius Archiepiscopi in hac parte meritorum & salubre; ac debite considerantes grata & laudabilia ac fructuosa obsequia nobis & regno nostro per ipsum Ar= chiepiscopum multipliciter impensa: Volen= tesque proinde, ac propter specialem affectio= nem quam ad personam suam, suis exigentibus meritis gerimus & habemus; ipsum Archiepis= copum #fuper pia intentione sua in præmissis fa= vore prosequi gratiose; & ut nos operis tam meritorii premiis participemur, de gratia nostra speciali, & ex certa scientia nostra concessimus & licentiam dedimus, pro nobis & hæredibus nostris, quantum in nobis est, eidem Archiepiscopo, quod ipse dictam Ec=

clesiam Parochialem beatæ Mariæ de Mai= denstone de patronatu suo existentem in quoddam Collegium erigere; & Collegium illud de uno Magistro sive Custode, ac tot sociis Capellanis & aliis ministris, Deo in eodem Collegio servituri, quot idem Archiepiscopus secundum discretionem suam melius #videbitur expedire, fundare, facere & stabilire valeat perpetuo, juxta ordinationem suam in hac parte faciendam. Concessimus etiam, de gratia nostra speciali, & ex certa scientia no= stra & licentiam dedimus, pro nobis & hære= dibus nostris eidem Archiepiscopo; quod ipse advocationem & patronatum prædictæ Eccle= siæ parochialis ac Capellarum eidem annexa= rum, qui de nobis tenentur in Capite, ut di= citur, dare possit & assignare prædicto Magi= stro sive Custodi & sociis suis Capellanis dicti Collegii; & successoribus suis Magistris sive Custodibus ac sociis suis Capellanis ejusdem Collegii, de præfato Archiepiscopo & successo= ribus suis in liberam, puram & perpetuam ele= mosinam imperpetuum. Et eisdem Magistro si= ve Custodi & sociis suis Capellanis, quod ipsi advocationem & patronatum Ecclesiæ prædictæ & Capellarum eidem annexarum a præfato Ar=

132b

chiepiscopo recipere, & Ecclesiam illam, cum eisdem Capellis appropriare & eam sic appro= priatam in proprios usus tenere possint eisdem Magistro sive Custodi, & suis sociis Capellanis di= cti Collegii & successoribus suis, in subventio= nem sustentationis #sive imperpetuum tenore præ= sentium similiter licentiam dedimus specialem.

Concessimus insuper de uberiori gratia no= stra, & ex certa scientia nostra, & licentiam dedimus pro nobis & hæredibus nostris eidem Archiepiscopo, quod ipse Hospitale Apostolo= rum Petri & Pauli novi operis de Mayden= stone, ac omnia terras, tenementa, redditus, servicia, & possessiones ejusdem Hospitalis, cum pertinentiis; necnon #advocationis & pa= tronatus Ecclesiarum de Suttone, Lillin= tone & Farleghe dicto Hospitali appropri= atarum, de patronatu #nostro existentium; quæ quidem Hospitale, advocatio & patronatus de nobis similiter #tenetur in Capite ut dicitur, dare possit & assignare prædictis Magistro sive Custodi, & sociis suis Capellanis dicti Collegii; habenda & tenenda sibi & successoribus, de præ= dicto Archiepiscopo & successoribus suis in libe= ram, puram, & perpetuam elemosinam imper= petuum: Et similiter quod idem Archiepisco= pus prædictum Hospitale, ac omnia terras, te= nementa, redditus, servicia & possessiones e= judsem Hospitalis, cum pertinentiis, præfatis Magistro sive Custodi, & sociis suis Capellanis, ac Collegio prædicto, in majorem subventio= nem eorundem, unire, incorporare & anne= ctere valeat; Quodque dictæ Ecclesiæ de Suttone, Lillintone & Farleghe licite transferri valeant in & ad prædictos Magistrum

sive Custodem, & socios suos Capellanos ac Collegio prædicto melioribus modo & forma quibus fieri poterit imperpetuum; seu alias quod unio, appropriatio & incorporatio dictarum Ecclesiarum de Suttone, Lillintone Farlegh, terrarum, tenementorum, reddituum, serviciorum, & possessionum Hospitalis prædicti eidem Hospitali antea factæ penitus dissolvantur, & prædictis Magistro sive Custodi & sociis suis Capellanis dicti Collegii & successoribus suis, ac Collegio prædicto de novo approprientur, amortizentur, uniantur & incorporentur; habenda in eorum proprios usus juxta ordinationem ipsius Archiepiscopi in hac parte similiter faciendam imperpetuum.

Et eisdem Magistro sive Custodi, & sociis suis Capellanis dicti Collegii, quod ipse dictum Hospitalale, ac omnia terras, tenementa, redditus, servicia & possessiones ejusdem cum pertinentiis ac advocationes dictarum Ecclesiarum de Suttone, Lillintone & Farleghe a præfato Archiepiscopo in forma prædicta recipere: Et Hospitalie prædictum, ac terras, tenementa, redditus, servicia & possessiones hujusmodi cum pertinentiis, ac Ecclesiæ illas Hospitali prædicto sic unita, annexa, translata, & incorporata, sive easdem Ecclesiæ de novo incorporatas sibi & successoribus suis in proprios usus habere & tenere valeant imperpetuum, sicut prædictum est similiter licentiam dedimus per præsentes; dum tamen Elemosinæ pauperibus in Hospitali prædicto solvi consuetæ ibidem

133a

futuris temporibus continue sustententur, statuto de terris & tenementis ad manum mortuam non ponendis edito, aut quibuscumque aliis statutis in contrarium editis; seu eo quod advocationes seu patronatus dictarum Ecclesiæ parochialis de Maydenestone & Capellarum eidem annexarum; ac dictarum Ecclesiarum de Sut- tone, Lillintone & Furleghe sint parcella Fundationis Archiepiscopatus prædicti aut parcella temporalium ejusdem Archiepiscopatus, de fundatione progenitorum nostrorum quondam Regum Angliæ & nostro patronatu existentium; seu eo quod advocationes & patronatus prædicti de nobis tenentur in Capite, sicut prædictum est, aut aliquibus aliis præmissis non obstante, &c. In cuius, &c. T. meipso apud Castrum nostrum de Ledes secundo die Augusti anno regni nostri decimo nono.

Carta Regis Ricardi secundi de advocatione Ecclesiæ de Croundale necnon maneriorum de Tremworth & Fannes.

Pat. 1 H.
4. part. 6.
m. 32.
per In-
spex.

Ricardus dei gratia Rex Angliæ & Franciæ, & dominus Hiberniæ, Omnibus ad quos præsentes literæ pervenerint salutem: Scientis, quod ob reverentiam dei, & ad supplicationem venerabilis patris & charissimi consanguinei nostri Willielmi de Courtenay nuper Archiepiscopi Cantuar. de gratia nostra speciali con-

cessimus dilectis nobis in Christo Magistro & Capellanis Collegii de Maydenstone advectionem Ecclesiæ de Croundale, unacum reversione maneriorum de Tremworth & Fannes in Com. Kanc. quæ quidem maneria Henricus Yevele jam tenet durante vita sua, ex concessione nostra, sub certa forma in literis nostris patentibus sibi inde confectis contenta: quæ quidem maneria post mortem prædicti Henrici ad nos & hæredes nostros reverti deberent: Et quæ quidem maneria volumus quod post mortem prædicti Henrici remaneant præfatis Magistro & Capellanis & successoribus suis imperpetuum: habendum & tenendum dictam advocationem Ecclesiæ prædictæ unacum reversione dictorum maneriorum, cum omnibus proficuis, libertatibus, franchises & aliis pertinentiis eisdem advocationi & maneriis spectantibus, adeo integre, sicut charissimus dominus & avus noster Edwardus nuper Rex Angliæ illa nuper tenuit & habuit in dominico, & sicut in manibus nostris extiterunt ante concessionem nostram eidem Henrico sic factam, eisdem Magistro & Capellanis & successoribus suis, de nobis & hæredibus nostris in liberam & puram elemosinam imperpetuum; statuto de terris & tenementis ad manum mortuam non ponendis edito non obstante. In cuius, &c. T. Rege apud Westm. xv/o. die Septembbris.

Licentia regia pro acquisitione manerii de Wyghtresham; aliarumque terrarum.

Pat. 8 H.
4. part. 2.
m. 13.

Rex omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis, quod cum dominus Ricardus nuper Rex Angliæ secundus post Conquestum, per literas suas Patentes, de gratia sua speciali concesserit & licentiam dederit, pro se & hæredibus suis, quantum in ipso fuit, dilecto nobis in Christo

133b

Magistro & Collegio Ecclesiæ omnium Sanctorum de Maydestone, quod ipsi terras tementia & redditus cum pertinentiis ad #volorem quadraginta librarum per annum, juxta verum valorem eorundem, tam de feodo suo proprio quam alieno, exceptis terris, tenementis & redditibus quæ de ipso nuper Rege tenebantur in Capite, adquirere possent; habenda & tenenda eisdem Magistro & Collegio & successoribus suis imperpetuum, statuto de terris & tenementis ad manum mortuam non ponendis edito non obstante, prout in literis prædictis plenius continetur, Nos volentes concessionem prædictam effectui debito mancipari, concessimus & licentiam dedimus pro nobis & hæredibus nostris, quantum in nobis est, Ricardo Lentwardyn Clerico, Johanni Hurlegh Clerico, quod ipsi manerium de Wyghtresham cum pertinentiis, septem messuagia, tria cottagia, centum quinquaginta & sex acras terræ, novem acras prati, quinquaginta acras pasturæ, viginti & septem acras bosci, quaterviginti & decem acras masici, & octo solidatas & duas denaratas red-

ditus cum pertinentiis in Maydestone, Lose,
Boxele, & Hoo, quæ de nobis non tenen= tur, & quæ valent per annum in omnibus exi= tibus juxta verum valorem eorundem quinde= cem libras, duos solidos & quatuor denarios, ul= tra viginti marcas, per annum quas Juliana Bel= knap annuatim percipit de manorio prædicto ad terminum vitæ suæ; sicut per Inquisitionem in= de, &c. captam, &c. est compertum, dare pos= sint & assignare præfatis Magistro & Collegio, habenda & tenenda sibi & successoribus suis, in valorem quinquaginta marcarum per annum, in plenam satisfactionem prædictarum quadragin= ta libratarum, terrarum, tenementorum, & red= dituum prædictorum imperpetuum, &c. T.
Rege apud Westm. viii/o. Junii.

.....

191a

*Licentia regia Johanni Archiepiscopo Ebor.
pro Fundatione ejusdem.*

<Wye>

Pat. 10
H. 6. p. 2.
m. 1.
Videsis e= tiam Pat.
10 H. 6.
p. 1. m. 6.

Henricus Dei gratia Rex Angliæ, & Fran= ciæ, & Dominus Hiberniæ, omnibus ad quos præsentes literæ pervenerint salutem. Mul= tiplicia & laudabilia, grataque servicia, quæ venerabilis in Christo pater Johannes Eborum

191b

Archiepiscopus in primis inclitæ recordationis domino, genitorique nostro; ac deinde nobis in nonnullis orbis-terrarum Regnis, Patriis, partibus atque locis; & præsertim in utroque nostrorum Angliæ videlicet & Franciæ regno= rum, tam in fideli circumspectaque Custodia privatorum magnorumque Sigillorum nostro= rum; quam alias nonnullis annorum circulis impendere studuit; nec personæ suæ nec tem= pori, sed nec bonis a Deo sibi collatis parcendo proculdubio promerentur; ut in hiis quæ a nobis postulanda censuerit, favorabiles nos ex= hibere curemus & graciosos, potissime vero in hiis, quæ ad divini cultus augmentum cede= re possint & provectum. #Cum igitur idem venerabilis pater nobis exponendum duxerit rem non incognitam, sed publice notam; viz. Quod obsequia tam inclitæ semper recordatio= nis, #dominoque genitori nostro quam nobis ab eodem, #sic ut præfertur impensa, tam #cedu= lum tamque continuum & laboriosum exege= runt #excercitum, quod non permiserunt eum eatenus, nec in eum modum intendere seu va= care regimini, administrationi, & #gubernati= tioni Ecclesiarum Cathedralium & aliarum, quibus successivis præfuit temporibus, nec ex= solvere pro se vel aliis, vivis sive defunctis de= bitum orationum aut suffragiorum vel sacrifi= ciorum spiritualium, sicut tenebatur & voluit, si sublatis occupationibus & impedimentis hu= jusmodi liberior affuisset sibi #facultus in ea parte; quodque omissio seu prætermissio præ= missorum ipsum hactenus & crebro compulit & induxit ad solicite studiose cogitandum

de modis & mediis, quibus etsi fortassis non in toto in aliquo tamen, tam Deo quam aliis quibus tenebatur & tenetur satisfactionem impendere posset & exhibere, inter quæ nullum, ut asseruit, invenit suo judicio medium magis congruum, magis aptum vel oportunum, quam quod de bonis a divinæ largitatis munificentia sibi tributis augeret, & ampliaret numerum illorum, qui hostiarum & sacrificiorum spiritualium assiduitate, immolationeque cotidiana ingenii & indefessum exhiberent, & impenderent Deo famulatum; quodque ob hoc ipsum quatinus in eo est exequendum & faciendum disposuit atque disponit & intendit, intervenientibus, viz. atque præhabitis nostris regiis licentia & assensu, ac aliorum quorum interesse poterit in ea parte erigere, atque fundare infra Parochiam de Wye Cantuar. Diocesis, in & ex qua natalium traxit originem, Collegium quoddam perpetuum de uno Magistro sive præposito, atque de tali numero Presbyterorum sive Capellanorum, & aliorum Ministrorum Ecclesiasticorum, prout sibi visum erit se pro eorum sustentatione commode posse providere, quæ inter onera ex ordinatione ejusdem Archiepiscopi eis specialiter imponenda, tenebuntur intercedere & orare pro fælici prosperoque statu nostro quoad vixerimus, & hujusmodi incliti regni nostri; necnon pro anima dicti genitoris nostri singularissimi, dum vixit promotoris ejusdem Archiepiscopi, & animabus inclitæ recordationis progenitorum nostrorum, & specialiter pro nostra, postquam migraverimus & #impartiri.

192a

mus ab hac luce, nobis idcirco humiliter & instanter supplicando; quatenus de gratia nostra speciali intentioni & dispositioni suis supradictis ac mediis, ad executionem eorundem congruis, necessariis, & oportunis assensum & licentiam nostros regios annuere, concedereque vellimus & #impartiri.

Nos præfatum sanctum & laudabile proposatum ipsius venerabilis Patris, & simul cum hoc obsequia sic ut præfertur nobis & inclitæ recordationis Domino & Patri nostro ab eodem impensa, sicut rationi convenit & decet attentes, de avisamento & assensu consilii nostri concessimus, ac pro nobis, hæredibus & successoribus nostris, quantum in nobis est licetiam damus, ac tenore præsentium concedimus, atque damus eidem venerabili Patri, suisque hæredibus assignatis & executoribus, conjunctim & divisim, quod ipsi absque fine vel feodo inde ad opus nostrum solvendo, erigere possint & possit in Parochia de Wye superdicta atque fundare Collegium hujusmodi perpetuum, viz. De uno Magistro sive præposito, ac de tali & tanto numero Presbyterorum, sive Capellanorum, ac Ministrorum Ecclesiasticorum, prout sibi visum erit, Deo famulaturorum, vocandum sive nuncupandum Collegium Sanctorum Gregorii atque Martini, & illud or-

dinationibus atque statutis talibus, quæ & qualia pro salubri regimine ejusdem congrua sibi videbuntur & oportuna stabilire.

Et quod iidem Magister sive #propositus & Capellani, eorumque successores sint, & perpetuis temporibus esse debeat unum corpus & una communitas, atque Collegium licitum & approbatum, habeantque commune Sigillum pro negotiis dicti Collegii deservitrum; & quod implacitare valeant alios, & ab aliis implacitari in quibuscunque Curiis, tam spiritualibus quam temporalibus: Et sint personæ capaces & habiles ad perquirendum & recipientum a quibuscunque personis, & habendum tam ex donatione, quam ex alio quocunque titulo legitimo, atque tenendum dominia, terras, tenementa, redditus, proventus ac possessiones qualiacunque & qualescunque, tam spiritualia quam spiritualia: Et ad finem & effectum quod suprascriptum dicti venerabilis Patris sanctum & laudabile propositum, stabilem, firmum atque perpetuum sorciatur effectum, quod #nunc alias futurum existimavimus, nisi & quatenus præfatis Magistro sive præposito & Capellanis, de rationabili & congrua sustentatione eorum sit provisum; tali, viz. quæ personis eorum, & oneribus eisdem incumbentibus sufficere possint & valeant: Nos de uberiori gratia nostra, & ultra præmissa concessimus & licentiam dedimus, atque concedimus & damus eidem venerabili Patri, hæredibus assignatis & executoribus suis antedictis conjunctim & divisim, quod ipsi prædictum Magistrum sive præpositum, ac Capellanos dicti Collegii futuros, ad perpetuam sustentationem suam, successorumque suorum; & ad onera quæ ex ordinatione dicti venerabilis Patris aut alias eis incumbent supportanda, dotare possint de & in possessionibus, redditibus & proventibus

192b

spiritualibus & temporalibus, etiam advocationibus Ecclesiarum ad valorem annum Centum marcarum ultra reprisas; talibus, viz. quæ de nobis non tenentur immediate per servicium militare: Et eisdem Magistro sive præposito & Capellanis, quod ipsi possessiones, redditus & proventus hujusmodi a Præfatis Archiepiscopo, hæredibus & assignatis, seu executoribus suis prædictis recipere possint & habere.

Et quod Ecclesiæ hujusmodi, quarum ad vocationes, ut præfertur, optinuerint, appro priare sibi possint, & eas sic appropriatas, cum earum juribus & pertinentiis universis in propriis usus possidere & tenere sibi & successoribus suis imperpetuum, unacum terris & tenementis aliis sibi adquirendis ad valorem annum Centum marcarum supradictarum.

Et ne futuris aliquando temporibus inter Magistrum sive præpositum dicti Collegii & Vicarium #præfato Ecclesiæ Parochialis de Wye lites aliquæ, dissensiones, discordiæ,

contentiones vel rixæ suboriantur aut fiant, quod fortassis contingere posset, ex intitulazione diversarum personarum in eisdem; & per hoc disturbium vel impedimentum afferri executioni divinorum officiorum, & inquietudo, quod absit, parari animis eorum per quos hujusmodi officia venient exequenda, concessimus & licentiam dedimus, ac pro nobis, hæredibus, & successoribus nostris concedimus & damus præfatis Magistro sive præposito & Capellanis, quod ipso advocationem dictæ Vicariæ de Wye ab Abbatie Monasterii S. Martini de Bello Cicestrensis Diocesis, quod de Fundatione progenitorum nostrorum, & de patronatu nostro existit, dictæ Vicariæ Patronis adquirere possint: Et eisdem Abbatii & Conventui, quod ipsi eandem advocationem præfatis Magistro sive præposito & Capellani concedere possint & dare; & quod eadem advocatione per dictos Magistrum sive præpositum & Capellanos adquisita & obtenta, ipsi prædictam Vicariam, cum suis iuribus & pertinentiis universis sibi appropriare, & in propriis usus tenere & possidere possint, habendum sibi & successoribus suis imperpetuum. Statuto de terris & tenementis, ad manum mortuam non ponendis edito, ac aliis quibuscumque Statutis, Ordinationibus, ac aliis provisionibus in contrarium præmissorum factis non obstantibus quovismodo, &c. In cuius, &c. — T. meipso apud Westm. xxvii/o. die Febr. Anno Regni nostri decimo.

193a

Licentia Regia dicto Johanni Archiepiscopo concessa, pro ampliori ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ dotatione.

Pat. 17
H. 6. p. 1.
m. 12.

Rex omnibus ad quos, &c. salutem. Scias quod de gratia nostra speciali, & pro Cœli deducendis de illa majori summa, in qua nos penes venerabilem Patrem Johannem Archiepiscopum Ebor. indebitati sumus, prout dicit per compotum satis constabit, dedimus & concessimus eidem Archiepiscopo Advocacionem & Rectoriam Ecclesiæ de Newentone juxta Hethe; ac omne jus nostrum & titulum, quæ nobis inde, aut in aliqua earundem, vel aliquibus parcellis eisdem pertinentibus competit, aut nobis vel hæredibus nostris in futurum quovismodo habere poterunt, una-cum grangea de Bransete, & terris de Newentone & Promehill, ac glebis, decimis, oblationibus, obventionibus, fructibus, provenibus, pensionibus, portionibus, ac aliis emolumentis quibuscumque eidem Rectoriæ qualitercunque spectantibus sive pertinentibus, quæ Katerina nuper Abbatissa de Guynes de Comitatu de Artoys ultra mare, tenuit die quo obiit ut de jure Abbathiæ prædictæ; & quæ per mortem ejusdem Katerinæ captæ fuerunt in manus charissimi Domini & Patris nostri defuncti, & in manu nostra jam ex=

istunt; & quæ de valore xiv l. per annum ex= istunt, & sic inde nobis ad Scaccarium nostrum annuatim responsum est. Habendum & tenen= dum advocationem & Rectoriam #prædicta; una cum grangea, terris, glebis, decimis, ob= lationibus, obventionibus, fructibus, proven= tibus, pensionibus, portionibus, ac aliis emo= lumentis prædictis præfato Archiepiscopo hæ= redibus & assignatis suis imperpetuum, absque aliquo nobis vel hæredibus nostris quovis mode inde reddendo.

Et ulterius, de uberiori gratia nostra con= cessimus & licentiam dedimus præfato Archie= piscopo, quod ipse hæredes vel assignati sui præ= dicti, postquam idem Archiepiscopus quoddam Collegium sive quandam Cantariam perpetuam, de certo numero Capellanorum in Parochia de Wye in Com. Kancii, Cantariam S. Georgii nuncupandam, prætextu licentiæ nostræ sibi inde nuper concessæ fundaverit, & stabiliverit; præ= dictam Advocationem & Rectoriam, una cum grangea, terris, glebis, decimis, oblationibus, ob= ventionibus, fructibus, proventibus, pensionibus, portionibus, & aliis emolumentalis prædictis dare possit & assignare Magistro & Capellanis ejusdem, Collegii sive Cantariæ, habenda & tenenda sibi & successoribus suis in liberam, puram, & perpetuam Elemosinam in auxilium sustentationis suæ imperpetuum; statuto de terris & tenementis, ad manu mortuam non ponendis edito, non obstante. Et eisdem Magistro & Capellanis, quod ipsi prædictam Advocationem & Rectoriam Ecclesiæ præ= dictæ, una-cum grangea, terris, glebis, deci= mis, oblationibus, &c. ac aliis emolumentalis prædictis a præfato Archiepiscopo hæredibus & assignatis suis recipere, & Ecclesiam illam ap=

193b

propriare; & eam sic appropriatam in proprios usus tenere possint sibi & successoribus suis in liberam puram & perpetuam elemosinam, in auxilium sustentationis suæ prædictæ imperpe= tuum, sicut prædictum est, tenore præsentium similiter licentiam dedimus specialem, &c. T. Rege apud Sanctum Jacobum juxta Westm. Xxviii/o Martii.

*Consimilis licentia dicto Archiepiscopo concessa,
de advocatione Ecclesiæ de Bocton-Al=
lulph, &c.*

Pat. 29
H. 6. p. 2.
m. 4.

Rex omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis, quod cum nos xxvii/o die Februarii, anno regni nostri decimo, per literas nostras patentes concesserimus, & licentiam dederimus, pro nobis & hæredibus nostris, quantum in no= bis fuit, reverendissimo in Christo Patri Jo= hanni Cardinali & Archiepiscopo Ebor. &c. hæ= redibus, assignatis & executoribus suis, quod ipsi conjunctim & divisim erigere #possint & posset in Parochia de Wye in Com. Kanc. Cant. Diocesis, quoddam Collegium perpetuum de uno Magistro sive præposito, atque de tali

numero Presbyterorum, sive Capellanorum & aliorum ministrorum Ecclesiasticorum, prout visum sibi foret Deo #famulatorum; vocandum sive nuncupandum Collegium S. Gregorii & Martini de Wye, &c.

Cumque etiam xxiv/o die Febr. anno regni nostri xxviii/o per alias literas nostras patentes #concessimus & licentiam dederimus præfato Cardinali & Archiep. Ebor. quod ipse, hæredes executores vel assignati sui advocationem Ecclesiæ de Bocton-Allulph, quæ de nobis tenetur in Capite dare, concedere & assignare posset vel possent Thomæ Gauge Magistro sive præposito Collegii prædicti, ac Presbyteris, Capellanis ejusdem Collegii; habendum & tenendum sibi & successoribus suis, &c. imperpetuum, &c. Nos volentes concessiones nostras prædictas effectui debito mancipari concessimus & licentiam dedimus, &c. præfato Thomæ Gauge Clerico, nunc Magistro sive præposito Collegii prædicti, ac #Præbyteris sive Capellani ejusdem Collegii; quod ipsi de præfato Cardinali duodecim messuagia, tresscentas & quater-viginti acras terræ, sexaginta acras pratæ, nongintas & quadraginta acras pasturæ, Cxx acras bosci, novem libratas & xii sol. redditus, ac redditum annum octo gallorum, sexaginta gallinarum, & quadraginta ovorum, cum pertinentiis in Civitate Cantuariensi, Wye, Bocton-Allulph, Crundale, Godmersham, Betresdene & Postelynge, quæ de aliis quam de nobis tenentur; & quæ ad xxvii l. vi s. viii d. extenduntur per annum; ac etiam advocationem prædictæ Ecclesiæ de Bocton-Allulph, quæ quidem ad vocatio de nobis tenetur in Capite, &c. Et dictam Ecclesiam de Bocton-Allulph, ac Vicariam prædictam appropriare; & eas sic appropriatas in proprios usus suos una cum mesuagio, terra, prato, &c. Tenere possint sibi & successoribus suis imperpetuum, &c. In cuius, &c. T. R. apud Westm. primo die Julii.

.....

218

Errata sic Corrige.

.....p. 191. l. 59. Ecclesia Collegiate de Wye in Com. Cantii,

<C.F. February 2011.>